

baptismum. — Una supererat hoc loco quæstio pertinens ad priorem partem hujus quæstionis, scilicet, an is, qui ponit obicem gratiæ sanctificanti recipiendæ per hoc sacramentum, possit interdum recipere aliquem habitum infusum, saltem fidei, et spei; de aliis enim non potest esse quæstio, quia juxta communem sententiam, nunquam separantur a gratia sanctificante. Ratio autem dubitandi esse potest, quia Concil. Trid., sess. 6, c. 7, tractans de prima justificatione, quæ fit per sacramentum baptismi in re, vel in voto, dicit: *In hac justificatione cum remissione peccatorum hæc simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem;* ergo juxta doctrinam Concilii adultus baptizandus; vel baptizatus non prius accipit fidem et spem, quam charitatem; sed quancumque ponit obicem gratiæ, non recipit charitatem; ergo nec fidem, nec spem. Quæ ratio fundata in auctoritate Concilii convicit aliquos Theologos, ut hoc probat ratio subjuncta a Concilio his verbis: *Nam fides, nisi ad eam spes accedat, et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Quod autem ante instans justificationis non infundantur fides et spes sine charitate, nec probari potest illa ratione Concilii, quia ante justificationem potest homo esse unitus cum Christo imperfecte, et ut membrum mortuum. Neque etiam id erat necessarium ad doctrinam de justificatione, neque aliquo firmo fundamento affirmari poterat; non est ergo hæc mens Concilii; sed vel sumpsit verbum illud, *accipit*, non in rigore, ut significet initium essendi, sed latius, prout idem significare potest quod habere, seu possidere, vel certe illud adverbium, *simul*, non est positum ad significandam durationem, seu initium ejus; sed ut signum distribuens, ad significandam collectionem illarum trium virtutum, et necessariam connexionem, quam inter se habent, ut hominem pleneificent; in quo sensu, quando dicit Concilium, hominem in justificatione illa tria simul accipere, non

oportet per justificationem intelligere solum instans infusionis gratiæ sanctificantis, sed totam susceptionem, et spiritualem immutationem, quæ in homine fit a prima vocatione usque ad gratiæ infusionem; hæc enim acceptio illius vocis valde usitata est, ut ex ipsomet Concilio constare potest, ut latius traditur in materia de justificatione.

13. *Probabile est fidem, et spem infundi posse ante baptismum.* — Quocirca valde probabile semper mihi visum est, quod sicut fides et spes non pendunt in conservatione sua a gratia et charitate, ita neque in infusione. Est enim eadem ratio, nec facile poterit conveniens discrimen assignari; nam sicut homo semel justificatus, amissa justitia, vere et supernaturaliter credit, ac sperat, et, ut hoc possit convenienter facere, retinet fidem et spem, ita peccator, qui incipit ad Christum converti, antequam perfecte amet vel efficaciter detestetur omnia peccata, potest vere et supernaturaliter credere ac sperare; ergo, ut hoc possit convenienter et connaturali modo facere, infundentur illi fides et spes; nam ad illas est satis dispositus, et per illas melius disponi paulatim potest ad gratiam obtinendam, a qua hi habitus natura sua separabiles sunt. Neque in hoc reperiri poterit majus inconveniens inter habitus, quam inter actus; si ergo actus possunt antecedere, cur non etiam habitus? Unde consequenter fit accidere posse, ut in baptismo homo ponat obicem gratiæ et charitati, non tamen fidei et spei, quia potest credere, et sperare, non tamen de peccatis dolere; tunc ergo sacramentum habebit effectum circa fidem et spem, quamvis non habeat circa alia dona, quia sacramentum dat omnem effectum, cui non ponitur obex. Est enim veluti causa naturalis quæ agit quantum potest, si non sit impedita. Si ergo potest dare plures effectus, et impeditur circa unum, et non circa alium, qui est ab altero independens, dabit unum, sine alio, sicut contingit in caractere, et idem supra dictum est de remissione venialium peccatorum.

14. Observandum vero est juxta discursum factum, moraliter loquendo, semper accidere, ut habitus fidei ante baptismum infundatur, quia moraliter loquendo, necesse est, ut actus fidei in catechumeno antecedat; per quem actum disponitur, ut statim ei infundatur habitus; sicut, si prius tempore quam baptizetur, habet amorem Dei super omnia, statim ei infundetur charitas, quæ postea

augetur per baptismum susceptum; et idem probabile est de fide cum eadem proportionem. Si tamen contingeret, aliquem non habere verum actum fidei usque ad illud instans, in quo perficitur sacramentum baptismi, tunc prima infusio talis habitus fieret per ipsum sacramentum, et idem est dicendum proportionaliter de spe, in qua facilius potest accidere, ut ante baptismum non exerceatur per proprium et formalem actum suum, quia non est fundamentum totius justitiæ, et supernaturalium actuum, sicut est fides; sed hæc res latius tractanda est in materia de justificatione.

SECTIO IV.

Utrum effectus baptismi impeditus per fictionem detur recedente fictione.

1. Suppono, quæstionem hanc solum habere locum, quando baptismi sacramentum validum fuit, non tamen contulit effectum propter obicem suscipientis, qui obex, fictio appellatur; nam quando fictio opponitur ipsi sacramento, illudque irritum reddit, nihil est quod redire possit, cum nihil antea effectum fuerit, sed necesse est, sacramentum iterari. Ratio autem difficultatis in hac quæstione, sic explicata, est, quia causa physica non operatur, nisi quando existit; ergo si baptismus non confert suum effectum, quando existit, nihil postea efficere poterit, cum ejus efficiencia realis ac physica sit. In contrarium vero est, quia proprius effectus baptismi, qui est regenerare hominem in Christo, et remittere originale peccatum, et alia mortalia, quæ cum illo sunt conjuncta, ita est proprius baptismi, ut a nullo alio sacramento, nec per aliud remedium absque baptismo fieri possit; hac enim de causa est baptismus medium necessarium ad salutem; ergo necesse est, ut vel ablata fictione præcedens baptismus efficiat hunc effectum, vel iteretur baptismus ut det illum effectum, qui non potest, nisi per baptismum dari; sed baptismus iterari non potest, ut fides docet; ergo necesse est, ut præcedens baptismus conferat effectum recedente fictione.

2. *Prima sententia.* — Hæc posterior ratio omnino convicit August. ut doceret, baptismum impeditum a suo effectu per fictionem incipere illum habere ablata fictione, sicut videre licet lib. 4 de Baptismo, cap. 44 et seq., et lib. 3, cap. 43, et lib. 6, cap. 5, et sæpe alias, et refertur de Consecr., dist. 4,

in cap. Tunc valere. Atque hanc sententiam videtur etiam significasse Cyprianus in lib. de Cardin. Christi operibus, verbis postea referendis. Et eandem amplexi sunt omnes Scholastici cum D. Thom. hic. Sed in ea explicanda potest esse nonnulla diversitas. Variis enim modis intelligi potest, dari effectum baptismi, recedente fictione. Primo, omnino materialiter, et quasi concomitanter, ita ut, remoto obice, v. gr., per contritionem, vere infundatur gratia, et remittatur peccatum originale cum aliis actualibus, quæ per baptismum tollenda erant, si fictio non intercessisset, et ideo dicatur tunc dari effectus baptismi, id est, qui per baptismum dandus erat, si non impediretur; tamen revera, quando talis effectus datur, baptismus nihil circa illum operatur (juxta hanc sententiam) nec physice, nec moraliter, sed sola contritio, ratione cujus datur gratia et tollitur fictio, et concomitanter tolluntur omnia alia peccata. Ita opinatur Gloss. in cap. Tunc valere, de Consecr., d. 4, dicens, tunc non dari remissionem peccatorum propter baptismum, sed propter contritionem. Cujus sententiæ fundamentum esse potest, quia hoc sufficit, ut omnia peccata remittantur, quæ per baptismum remissa non fuere propter obicem; non ergo oportet novos effectus, aut novos causandi modos sine fundamento multiplicare. Item hoc modo facile expeditur difficultas in prima ratione dubitandi tacta; quæ confirmari potest, quia sacramentum futurum non dat suum proprium et specialem effectum ex opere operato, antequam sit; sed ad summum, dicitur contritio dare suum effectum in ordine, vel cum voto futuri sacramenti, quia veluti imponit obligationem suscipiendi illud, et sub hac veluti conditione, saltem voluntate et proposito concepta, confert suum effectum; ergo similiter sacramentum præteritum, quod jam non est, non potest dare suum effectum ex opere operato, quia postquam præterit, tam est nihil, quam quod nondum fuit; ergo contritio est, quæ habet effectum; quæ jam non indiget voto baptismi, quia supponit illum susceptum, solumque poterit talis effectus baptismi attribui, quia contritio supponit illum susceptum, nec dare illum posset, nisi præsupposito baptismo, vel in ordine ad illum. Denique juxta hunc dicendi modum dupliciter solvi potest ratio in contrarium supra facta. Primo, dicendo, peccatum originale per se primo non posse tolli, nisi per baptismum; tamen ex accidente et concomi-

tanter posse tolli per pœnitentiam, quatenus per illam datur gratia, quæ, tollendo fictionem, consequenter necesse est, ut tollat originale peccatum, et omnia alia mortalia cum illo conjuncta, quia unum peccatum mortale non potest tolli, nisi tollantur omnia. Vel secundo addi potest, hunc effectum attribui baptismo, quia, ut sic fiat, necessario præsupponitur baptismus.

3. *Impugnatur hic dicendi modus.* — *Concil. Trident.* — *Peccatum originale, vel mortale non remittitur, nisi per aliquod sacramentum in re, vel in voto.* — Sed hic modus dicendi omnino est alienus a mente Augustini et aliorum Theologorum, et nullo modo probandus est; quia ratio supra facta in contrarium semper vim suam retinet, neque evanes illæ satisfaciunt, quia juxta doctrinam Concil. Trid., sess. 6 et 14, in lege nova, nullo peccatum originale aut mortale remittitur, nisi per aliquod sacramentum in re, vel in voto, scilicet per baptismum aut pœnitentiam; nam alia sacramenta non sunt per se instituta ad tollenda hujusmodi peccata; sed peccatum originale, et mortalia ante baptismum commissa non tolluntur per pœnitentiæ sacramentum in re vel in voto, quia cum non sint materia illius, ipsum non potest habere efficaciam circa illa; ergo oportet tolli per baptismum; sed in eo, qui jam baptizatus fuit fide, non possunt tolli per baptismum in voto, quia est incapax talis voti, sicut et alterius baptismi; ergo tolli necessario debent per baptismum jam susceptum, quamvis tempore præcesserit. Neque illud de remissione peccatorum per concomitantiam sufficit ad vim hujus rationis eludendam, quia nunquam peccatum aliquod mortale remittitur per accidens, seu concomitanter per aliquod sacramentum, nisi cum ordine ac voto alterius sacramenti, per quod tolli potest per se, ut, v. gr., quando quis bona fide accedens tantum attritus ad Eucharistiam, per illam consequitur gratiam et remissionem peccatorum, dicitur ille effectus per accidens respectu Eucharistiæ, quia semper fit per respectum ad sacramentum pœnitentiæ, vel cum voto illius. Interdum etiam contingit, per sacramentum pœnitentiæ remitti aliquod peccatum tantum concomitanter ad remissionem aliorum, ut quando illud peccatum est oblitum, vel bona fide tacitum propter gravem causam; tunc autem et sacramentum ipsum pœnitentiæ per se poterat habere virtutem ad tollendum peccatum, si in confessione aperiretur, et præ-

terea peccatum illud nunquam tollitur, nisi in virtute et voto alterius confessionis, in qua per se remittendum sit. At vero in præsentem originale peccatum, et alia mortalia ante baptismum commissa non respiciunt aliquam causam per se remissivam illorum, nisi baptismum; ergo non possunt, etiam concomitanter, tolli per aliud remedium, nisi cum ordine ad baptismum; et non per votum baptismi futuri, quia hoc nullum esse potest; ergo per ordinem ad baptismum jam susceptum. Neque vero satis est quod secundo loco dicebatur, posse hunc effectum tribui baptismi, quia, ut sic fiat per contritionem sine voto baptismi, necessario supponitur baptismum susceptum, quia hæc habitudo non sufficit, ut talis effectus baptismi attribuat; alias etiam remissio peccatorum, quæ fit per sacramentum pœnitentiæ, deberet tribui baptismi, quia pœnitentia non posset habere illum effectum, nisi præsupposito baptismi; et idem est de effectibus aliorum sacramentorum; ergo necesse est, ut alio proprio et speciali modo tribuatur ille effectus baptismi, scilicet tanquam unicæ causæ et remedio necessario per se instituto ad talem effectum; ergo hoc modo baptismus prius indigne susceptus confert postea remissionem peccatorum recedente fictione. Quod tandem ita confirmo, quia peccatum originale non contrahitur, nisi per generationem naturalem; ergo nec remitti potest, nisi per generationem spiritualem, juxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, etc.*; ergo quando peccatum originale deletur recedente fictione, tollitur per aliquam regenerationem spiritualem, quæ tantum fit in baptismo; et non per præsentem, aut futuram; ergo per præteritam.

4. *Secunda sententia.* — Secundus modus explicandi Augustini sententiam esse potest, ablata fictione redire effectum baptismi, quoad remissionem peccati originalis, et omnium mortalium, quæ antea commissa fuerant; non tamen quoad specialem gratiam distinctam ab ea, quæ daretur ratione contritionis, per quam tollitur fictio; neque quoad effectus alios qui non sunt simpliciter necessarii, quatenus per baptismum fiunt, sed possunt aliis mediis obtineri, quales sunt remissio totius pœnæ temporalis, et omnium peccatorum venialium, et aliqua auxilia gratiæ, quæ fortasse dantur digne suscipientibus baptismum, ratione ipsius sacramenti. Fundamentum hujus sententiæ esse potest, quia hoc satis est ad salvandam in baptismo necessita-

tem mediæ ad salutem; nam hoc modo ratione illius confertur ille effectus gratiæ, sine quo homo salvari non potest, qui est remissio peccati originalis et mortalis; sed tota ratio, ob quam dicitur effectus baptismi dari recedente fictione, est, quomodo est causa unica et necessaria alicujus effectus gratiæ necessarii ad salutem; ergo non oportet, ut hic effectus alio modo redeat, neque est aliquod probabile fundamentum ad id asserendum. Quod si dicas, baptismum non posse remittere peccatum, nisi det gratiam, quia peccatum non remittitur nisi per gratiam, dicitur juxta hanc sententiam, dari quidem gratiam intuitu seu ratione baptismi, non tamen distinctam ab ea, quæ daretur per contritionem, seu eandem, cum quadam habitudo seu morali respectu, non solum ad contritionem, sed etiam ad baptismum; ita ut veluti duplici titulo detur eadem gratia, baptismi scilicet, et contritionis; nam hoc satis est, neque oportet multiplicare gratias sine sufficienti fundamento. Atque hoc modo expeditur facile prior ratio dubitandi in principio posita, quia non oportet ut hæc gratia physice fiat a baptismo præterito, sed satis est, ut moraliter detur ratione illius, et in ordine ad proprium effectum baptismi, qui est regenerare hominem, et mundare illum ab originali culpa et aliis, quas cum illa conjunctas invenerit. Potest tandem confirmari hæc sententia. Nam qui digne suscepit baptismum, et per eum gratiam baptismalem, si postea peccando illam amittat, et iterum postea pœnitendo resurgat, non oportet, ut illi restituatur prior gratia baptismalis, quam amisit per peccatum, quia hæc jam semel data est, et homo sibi imputare debet si illam amittit, neque enim amplius ei debetur; ergo majori ratione si homo posuit impedimentum gratiæ baptismali, non ei amplius debetur, sed satis est, quod gratiæ pœnitentiæ addatur respectus ad baptismum, ut ratione illius intelligatur destruere illud peccatum, quod solus baptismus delere potest. Confirmatur secundo. Nam alias sequitur, eum, qui per baptismum fide susceptum, de fictione aliisque peccatis conteritur, majorem gratiam accipere, quam recepisset per contritionem, nondum suscepto baptismi. Consequens est falsum, tum quia indigna susceptio non debet illi homini prodesse ad gratiæ augmentum; tum quia oporteret in illa gratia distinguere diversos gradus, ex quibus aliqui darentur ratione baptismi, alii ratione pœnitentiæ, quod vix potest intelligi.

5. *Impugnatur.* — Hæc sententia non caret aliqua probabilitate, mihi tamen simpliciter non placet. Primo, quia non videtur juxta mentem Theologorum asserentium, effectum baptismi redire recedente fictione; simpliciter enim loquuntur de quolibet effectu baptismi; et maxime de effectu gratiæ; atque idem videtur sensus Augustini, dicentis, non solum remissionem peccatorum, sed et charitatem et Spiritum Sanctum dari ratione baptismi recedente fictione. Et idem videtur docere Cyprian., serm. de Passione Dom., dicens: *Et licet indigni sint, qui accipiunt* (loquitur de baptismo), *sacramentorum tamen reverentia, et propinquiorem ad Deum parat accessum, et ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, et redit effectus munerum, nec alias quæri aut repeti necesse est salutiferum sacramentum.* Video, hæc testimonia posse eludi, dicendo, dari quidem gratiam ratione baptismi, sed non novam aut majorem, quam daretur ratione ipsius pœnitentiæ. Sed hoc revera magis est verbis, quam re ipsa dari, vel redire effectum baptismi. Quia ille respectus nihil addit ipsi gratiæ, quæ ex se habet formalem repugnantiam cum peccato originali, et quocumque mortali. Et præterea argumentor primo in hunc modum. Constitua-mus hominem, qui bona fide, et sine novo peccato accepit baptismum sine sufficienti dispositione, atque adeo fide, et absque effectu: si hujusmodi homo, antequam aliquod mortale peccatum committat, habet veram attritionem de peccatis præteritis, consequetur effectum baptismi, ut infra dicam, quia revera tollit fictionem, quæ tantum posita fuerat in defectu talis dispositionis; ergo illi homini datur prima gratia baptismalis, quæ data fuisset tempore baptismi, si non esset fictio; ergo illa gratia datur ratione solius baptismi, supposita subjecti dispositione; nam sola attritio per se non sufficeret ad talem gratiæ effectum; ergo baptismus præteritus sufficit recedente fictione ad dandam eandem gratiam; ergo semper eodem modo, et cum eadem proportionem operatur, si talis dispositio sit contritio, v. gr., ut quatuor; nam per eam, secluso baptismo, seu ante institutionem ejus, daretur gratia ut quatuor; nunc vero major gratia datur homini prius fide baptizato, removen-ti fictionem per eandem contritionem ut quatuor, tum quia si non daretur nisi gratia ut quatuor, nulla gratia daretur ex opere operato ratione baptismi, cum illa gratia non excedat latitudinem et

proportionem contritionis, secundum se considerata; tum etiam quia est eadem proportio, et quodammodo major ratio. Nam si homini auferenti fictionem per attritionem datur ex opere operato aliqua gratia, multo majori ratione dabitur idem effectus gratiæ ex opere operato homini removenti fictionem per contritionem.

6. Secundo argumentor, quia prima gratia, ut supra dixi ex Concil. Trident., non datur, nisi vel ex opere operato per aliquod sacramentum, vel per votum illius; sed quando recedit fictio posita in præterito baptismo, datur prima gratia; ergo datur ex opere operato ratione baptismi per se loquendo; ergo non tantum datur gratia per se respondens contritioni, sed etiam aliqua, quæ respondet efficaciam ipsius sacramenti, quod semper operatur quantum potest, in subjecto disposito; semperque aliquid amplius operatur, quam secluso sacramento fieret in eodem subjecto eodem modo disposito. Dixi autem, *per se loquendo*, quia interdum fieri potest ratione alicujus peccati mortalis post baptismum commissi, ut illa prima gratia non tantum respiciat baptismum præteritum, sed etiam votum sacramenti pœnitentiæ postea suscipiendi; hoc tamen nihil obstat, quia hoc est per accidens, et ad vim argumenti satis est, quod baptismus prius susceptus est sufficiens causa, ut illa gratia detur ex opere operato, etiamsi non sit necessitas respiciendi aliud sacramentum. Quod sic etiam confirmatur: nam ille sic justificatus salvabitur; ergo ex aqua et Spiritu Sancto, quia non est alia via ad salutem; ergo recipit gratiam regenerativam per aquam baptismalem; ergo est effectus ejus ex opere operato. Tertio argumentor, quia, juxta probabiliorum, magisque piam sententiam, gratia per baptismum semel comparata, etiamsi per peccatum mortale amittatur, iterum recuperatur per pœnitentiam, ut latius sequenti tomo dicturi sumus; ergo similiter eadem gratia baptismalis, quæ danda fuisset homini non ficto, dabitur recedente fictione; est enim eadem ratio, ut magis ex dicendis constabit; in quibus alia addemus, quæ hunc dicendi modum satis improbare videntur.

7. Tertia sententia. — *Quomodo remittantur mortalia post baptismum commissis recedente fictione.* — *Quomodo remittantur venialia recedente fictione.* — Tertius igitur ac verus dicendi modus est, ablata fictione dari totum effectum baptismi cum tota ex-

tensione et intensione, cum qua in principio daretur, si fictio non interfuisset. Ita enim significant verba Sanctorum et Theologorum simpliciter sumpta. Et sigillatim declaratur: nam in primis datur gratia sanctificans ex opere operato, ut ostensum est; et cum ea dantur omnes virtutes et dona; nam hæc omnia, vel sub nomine gratiæ sanctificantis comprehenduntur, vel in ea tanquam in radice continentur, et quasi naturali sequela consequuntur. Deinde datur remissio peccati originalis, et omnium mortalium, quæ cum illo conjuncta sunt, non tamen omnia eodem titulo ac ratione, nam quæ commissa fuerunt ante baptismum, per se tolluntur virtute illius, quia remissio eorum est proprius ac per se effectus ejus; quæ vero post baptismum commissa sunt, tolluntur, et concomitanter seu per accidens, respectu baptismi, et per se, respectu pœnitentiæ, seu in voto ejus. Unde quoad hæc peccata mortalia post baptismum commissa non dicetur proprie redire effectus baptismi, quia baptismus nunquam habuit virtutem per se ad remittenda hæc peccata; sed dicetur effectus baptismi necessario conjungi cum remissione eorum peccatorum, et cum effectu virtutis pœnitentiæ, ut includentis votum sacramenti pœnitentiæ; eo quod non possit tunc proprius effectus baptismi sine alio fieri, quia non potest unum peccatum mortale sine alio remitti. Atque hinc fit, ut tunc etiam detur integra remissio pœnæ, quæ respondet peccatis mortalibus ante baptismum commissis, non vero illius pœnæ, quæ debetur propter peccata postea commissa, quia remissio illorum est effectus per se baptismi, qui nullam satisfactionem postulat ad plenam remissionem totius pœnæ, sed solum dispositionem sufficientem ut tollatur culpa; horum autem remissio per se spectat ad sacramentum pœnitentiæ, in cuius voto fit; et ideo, licet concomitanter tollantur, quando baptismus habet suum effectum ablata fictione, non tamen omnino remittuntur quoad pœnam, sed juxta dispositionem, et satisfactionem peccatoris; et ita, quoad hæc potest manere reatus pœnæ temporalis, etiamsi baptismus suum integrum effectum habeat. Præterea datur recedente fictione remissio peccatorum venialium, quæ commissa sunt ante baptismum, et pœnæ, quæ iis correspondet, si tamen fictio etiam tollatur respectu illorum, ita ut non perseveret homo in complacentia eorum; sicut enim potest peccatum mortale sine veniali remitti, ita

potest tolli fictio, ut impedit remissionem mortalium, et non ut impedit remissionem venialium; et tunc fiet prior effectus sine posteriori, quia uni ponitur obex, et non alteri, et unus est ab alio separabilis; si autem obex et fictio simpliciter tollatur respectu omnium, omnia absolute remittentur, ex fundamento jacto, quod, ablato impedimento, sacramentum operatur quantum potest; non minus autem potest operari baptismus prius receptus, et veluti manens in acceptione divina, quam actu existens.

8. Dices: quid si prius ablata est fictio respectu mortalium tantum, et post aliquod tempus respectu venialium? numquid baptismus successive, et quasi per partes tunc conferet hos effectus diversis temporibus? Videtur enim hoc esse inconveniens, quia oporteret gratiam etiam baptismalem paulatim et quasi per partes infundi. Respondetur: quamvis non sit æque certum redire effectum baptismi quoad remissionem venialium, quia baptismus non est medium necessarium ad hujusmodi remissionem, nihilominus probabilius est, etiam hunc effectum redire, quia si baptismus ita est institutus, ut possit operari ablato impedimento ex parte suscipientis, etiamsi ipse jam non existat, non est verisimile, hoc esse limitatum ad unum effectum ejus potius quam ad alium; nullum enim fundamentum est, ad id excogitandum, præsertim, quia gratia illa, quæ datur recedente fictione, tam vere est regenerativa, ac si esset data in præsentia baptismi, et ideo, quantum est de se, omnino transmutat hominem et delet omnem maculam superioris vitæ. Unde fit ulterius probabile, totum hunc effectum simul redire, si respectu totius simul tollatur fictio, vel etiam successive et diversis temporibus, si eodem modo auferatur impedimentum, quia causa semper manet eadem, et cum eadem virtute ac determinatione ad operandum, si ex parte subjecti auferatur impedimentum. Quid ergo mirum, si impedimentum paulatim auferatur, effectum etiam paulatim, et per partes conferri? Neque enim necesse est, ut gratia ipsa sanctificans paulatim etiam detur illis diversis temporibus; nam hoc ipso, quod auferatur fictio respectu mortalium peccatorum, tollitur etiam obex respectu totius gratiæ baptismalis, quia peccatum veniale, ut sic, non repugnat gratiæ, neque intensionem ejus; et e contrario, ut postea tollantur peccata venialia, non est per se necessaria gratiæ infusio, sed ipsamet

gratia regenerativa et baptismalis, ablato impedimento, est sufficiens ratio remissionis eorum; quod si fortasse tunc conjungitur cum remissione venialium aliquod augmentum gratiæ, illud non erit ex opere operato ratione baptismi præteriti, sed fortasse ex merito ipsius operantis fundato in aliquo actu bono, quo displicent illi venialia peccata, vel alio simili.

9. Sed quæres ulterius: quid de peccatis venialibus commissis post baptismum? numquid illa etiam tollentur ablata fictione? Respondetur: per se loquendo, non est necesse illa tolli, quia nec per se hoc pertinet ad baptismum, quia, ut sæpe dictum est, non habet efficaciam circa peccata post illum suscepta, commissa; neque etiam concomitanter, quia remissio venialium non habet necessariam connexionem cum remissione mortalium. Attendenda est ergo qualitas et virtus illius dispositionis, per quam fictio removetur; nam si illa sit per se sufficiens dispositio, aut meritum operandi ad tollenda hujusmodi venialia, absque eo quod sacramentum aliquid suppleat ex opere operato, tunc quidem remittentur; si autem dispositio non fuerit hujusmodi, manebit reatus talium peccatorum, vel omnium, vel aliquorum, pro ratione dispositionis, quia baptismus prius susceptus nihil omnino juvat ex opere operato ad horum remissionem. Atque eodem modo censendum est de remissione pœnæ, quæ propter hæc peccata debetur; fiet enim juxta dispositionem et satisfactionem operantis, et non amplius. Tandem ablata fictione, dabitur omnis gratia sacramentalis, si quæ fortasse est in baptismo præter ipsam gratiam sanctificantem, ut regenerativam; quale erit auxilium aliquod speciale opportuno tempore datum ad baptismi effectum conservandum, vel aliquid hujusmodi. Quod probari potest ex fundamentis et rationibus supra positis; et præterea, quia hic effectus gratiæ est maxime necessarius, et conveniens homini; non ergo debet illo perpetuo privari; alioqui, saltem propter illum recipiendum, oporteret iterum baptismum suscipere; cum ergo baptismus iterari non possit, oportuit ut haberet hanc vim dandi omnem hujusmodi gratiam, quocumque tempore obicem non inveniat. Propter quod etiam verisimiliter credi potest, etiam si sæpius homo peccando ponat obicem huic effectui, tamen si resurgat, et præsertim si opportuno tempore, in quo dandum est hoc auxilium, non habeat impedimentum peccati,